

VIII, 26,

2.708⁶ 710.721.
722.

7-7

2.

2.

2.

2.7

2



3
2

PETRI LOTICHII
SECUNDI

Elegia IV. Libr. 2.

DE

OBSIDIO

MAGDEBURGENSI

Ad

*Dictionum Latinarum, & Histo-
riae limam*

GLOSSARIUS;

Ubi de Belli Magdeburgici cau-
sis & eventu bene multa

Ex

Historiarum Fide,

à

M. JOHAN. BLOCIO



Secundò Editus

ANTIANEIROPOLI.

Litteris BOELIANIS.

Anno cl b c XXI.

C33

*Christoph. Excellensiss. On. M. ANDREAE W. C.
Illustri Götting Gymnasij Rectori eminentiss.*



MUNIMENTUM
Aut
MONIMENTUM.
BENIVOLE LECTOR:

Siquid hîc contra Veritatem Historicam;
Politix Patriæq; libertatem; Bonos mores
& Indulgentiæ. Nam quicquid ejus dictum,
meâ causâ volo indictum
lit.



MA

MAGNIFICE
AMPLISSIME, CONSULTISSIME,
DOMINE;

SIEGEMUNDE HESSE,

Juris Consulte celeberrime;
CONSUL honoratissime;
SCHOLARCHA Prudentissime;
Mecænas,

COMPATER

Omni observantia cultu venerande.

Vetus illud, & ut nobile, sic memorabile:
*VOs Lectores rectos assumite mores,
Publica Privatis preponite commoda Gratis,
Ne damnet vestras animas Divina Potestas.*

Hæ seriæ, inquam, severæq; voces, cujus mentem thyrsos conscientiæ penetrantes non igniunt, ille sit inter saxa scopulosq; vel Marpesia Cautes. De me, si fateri verum meum est, non inficior, id agere ad industriam, quod ibi præcipitur. Ne fidam domestico, sed Sapientum, & quibus hoc datum est Solis, testimonio: ideoq; non vereor, luci & Censuræ, quasi Pastores Ægyptij, annotim me sistere, cum quantillâ opellâ meâ; quæ si Saturâ dici meret, censiones nō saturans; tamen, ut debet, Candidis Vestris Oculis non dedignanda prodit, nusquam furtivis humeris, quod dici solet, subducens se, uti post carecta refugiat: memor quod scelera secretum quærant; honesta gaudeant publico; sinceritasq; non erubescat, nisi abscondi: cujus fatelles nemo tam uteri sui noctem amavit, ut nollet diem, cum posset. En ecce, ajo, ego vel ab omni Eruditione imparatissimus, meum reconditorium hoc partu (utinam felici fatis)

A 2

depromo



depromo ex Musagetarum discipulatu, qui Auditoribus suis, non istorum tantum hominum libros, quos Vetustas commendaret; sed etiam cuiusque æqualium suorum; teste Casaubon. detenebrabant ad

Prægnantis ovantia lumina mentis.

Quid ad hanc Tygridem meam Elephanta aliquis mussabit? Fortassitan à butyro stipendium capiet, quo gingivas perfricet, ut stiriata venena provomere largè possit ad innocentem hanc industriolam: quæ quid Socratici Charti moneant, tantùm non ad Lucernam Diogenis, quæritat impensius. Sat scio: Decachinnabit iste, quisquis erit, bronchus, hæc velut è mari poma, nuceta ex cœlestibus: & talia, dicet, olim

Quercus laurigæ ferebant

Cruda puerperia; ac populos umbrosa creavit

Eraxinus, hinc fatâ viridis Puer excidit alno.

Arguet alius: Omnia mendosè fieri atque obstipâ farfari folia, seu plumulas à fascijs & cunis flatu fugituras. Hic ergo opus est mihi præsidium: Contra tales, qui omnia sinisterrimè, non sanè faberrimè, interpretantur. Sed quid illis reponam molarium piperatis oculis? Nihil: nam

Cœna fercula nostra

Malim Convivia, quàm placuisse Cocis.

Non igitur ad plebeiam rancidam betam, sed generosam Laurum hoc olus colloco: cui si forsitan erucæ infederint, eas vultellâ melioris censuræ depilari exspecto.

Exsertim ad Tuos pedes, Magnificè dn. Consul, defarinatum hoc è multis condimentarium, tanquam ad molas (nisi placeo, defultrices) devehens, depono. Et cui alij deponerem? nisi ei, qui non tantùm Patriæ huius nostræ Fabius amans; Publicola benignus; Camillus constans, es: Sed Musarum quoq; Lælius hilaris, Hortensius, eloquens; Litætarum nostrarum & Scholæ verè Statilius, Levanius, Tullianus:

tanus : Omnium unus Socrates. Sanctè & ἀδόλως ! nihil ad-
blanditus ad aurem pipio ; sed testor. Erumpè Veritas ; ac-
clama conscientia tuum illud, SUBSCRIPSI. Age, DOMI-
NE, mentum hoc investe, seu potius barbam hanc Marfy-
am, & culinæ strigolioris exverras meæ, quas afferre me
dicent aliquot luridi (quibus duo Oculi sunt insanè ma-
gnæ duæ noctuæ) quâ prudentiâ es, dedignare noli, quin
aceto Sapientiæ defrices. Et qui mihi simul una, cum Rever.
Clarentissimoq; Theologo Dn. M. Andr. Cramero (quem
meritisimi honoris causâ assigno) Civitatem, Scholam,
Sponsam obtulisti ; liberaliter ultra, quid velin me ipso de-
sideres, clara voce denuncia, vel obelo transfigens errata,
viam monstra, ut expunctum meum monstrum fascijs tuis
Nus Pater & Sige mater illigent, condemnatum ad perpe-
tuas obliviscentiæ nebulas. Ego, qui cum Crispo Passieno,
malo aliorû beneficium, quam iudicium ; aliorû verò iudi-
cium, quam beneficium ; ob hoc ad tuum Tribunal stiti, Si
Magnai Reipublicai gratiâ (Veteri Formulâ) Superforaneâ
curam istam alii ; nihil interdum, quin ista benemerendi
mea Voluntas Involuntas fiat, Te iudice. Si in libum hoc curi-
oso Diligentio læ pastillo seu pistillo decoctum, legentis
oculos non paverit, nec satiaverit ; fida Vox, mihi magna
Vox fuerit, ne sim inter istos, quibus superest tempus & qui
super sunt tempori. Silescam & indormiam in hoc pædid-
to pulvere, quem lingo ? Tamen agitabor ; velut infantes
in cunis ; quorum aures etsi creber ninnarum sonitus ob-
bombilet & circumstrepat ; à vigilantium turbine tamen
obsopiti sustinent, velut à suillâ Judæi vel Ægyptij. Quid
igitur faciam ? quâ spe nitari ? Tuæ benevolentia, Consul
Amplissime, Scholarcha prudentissime : Si tibi visû fuerit,
tu is auspicijs ; muscerdam meam pipcri, garritus meos an-
ferinos olorinis aliorum cantibus, fringulientium passe-
rum singultus luscinali modificationi confidenter paria-
bo ;

bo; contra invidorum sriblignem. Quamcunq̄ue mihi lucem faventer alluxeris, erit ad anteriorem & retrofiorem t̄am Gloriam. Æternum have, Famæ supervive, veterem tuum affectū, si MEREBOR, non exsue; prudentissime NESTOR;

NESTOR Consilij, Annis memorandeq̄ NESTOR.

Dab. URBE, quam Montem Veritatis, Montem Domini Dei Zebaoth *Philip. Gal. Cancellariam Dei, Henr. Marcel.* SCHOLA, quam Coronam Scholarum, *D. Lutherus; Germaniæ Paradisum Philip. Melancht.* appellarunt olim.

M. A. & C. P.

T.

Verè tot Use X CorDe & anImo.

BLOCIUS.



Prefatiuncula

in

PETRI LOTICHII SECUNDI

Elegiam

ad,

Alumnos Scholæ Magdeb.

Vidistis ne *apud. N. Clenard.* circulos istos Lovanij ante
tabernā Librariā Jasparris, quā illic vocāt, Cancellariā
Novorum? Quæ novities aut navities inde? Nulla;
nisi quod Feriæ Bacchanales instent. Scimus. Bacchanal ex-
ercebimus, ut strenuos decet. O mei, absit ista pertinax Lu-
percorum petulantia, quæ nec Honestis ingenijs, nec Loco
nostro convenit. Musarum soboles à matre laxamentum,
capit, aut rapit. Fucos, si quot sunt, omittite ad Maleper-
tusum, non Pictonum, sed pectorum; nos intercalaribus
horulis ad *Petrum Lotichium Secundum* invilemus, ut ab
illius Poëticâ nobis, imò Vobis, quot - frugi estis, bene sit,
& repleantur, non tantum aurium, sed mentium quoq; fo-
ruli. Fortunam & existimationem URBIS, ALMÆ NO-
STRÆ, nobis memorabit alumnis & beneficiarijs ejus.
Nimirum in tempore vivere, & quid sit Tempus ignorare;
sic in Urbe vivere, & quanta sit Urbs nescire, paris depuden-
tiæ est. Veteris Verò Fortunæ memoriam esse tenendam, le-
gite quot modis docefaciat Mich. Piccart. decad. 4. Ob-
servat. Historico-Politic. cap. 3. Hanc Urbis Fortunam ne-
mo nobis pensiculatins denarrabit ipso Lotichio nostro,
qui per Obsidionem in hoc Palladio nostro, non modo to-
gatus, sed sagatus & scutatus quoq; miles fuit. Quid prode-
rit ea nosse? quæris? Memento ubi sis, ubi fueris; aiunt: Hoc
igitur tibi proderit, ut olim cū peculiari gaudiorum titil-
latione rumines, ubi nunc fueris. Imò tritum illud nosti?
DIC, CUR HIC. Hoc, inquam, tibi proderit, ut dicere
tuis

tuis Parentibus & Tutoribus possis, Ubi, & Cur hic fueris. Cave sis ergo rei tuæ, spei nostræ jacturam. Macti adolescentes, quia negliguntur Doctores, quorum Scholæ frigent auditorum raritate, uti de suis Gymnasijs Iure Consulti loquuntur, & apud Martialem ridetur, qui

*Jura triumphet à Casare discipulorum,
Asuetus semper Menna docere duos:*

Ergo facite, ne poeniteat præmonstratores, Vestros, imò Vos ipsos, Vanæ sterilisq; cathedræ. Vobis enim hic feritur ut metatis olim. Vobis quondam exedendum erit, quicquid hic intriveritis. Obvertite igitur Cornua languori, defæcate cados mentium; & quia non tam vile lutum estis, spem vestræ frugis augete, quasi non habeatis auriculas locustarum instar duratas; & animos hodierno ferè Riphæo frigore rigentiores. Cæterà Favonius ille Patris æterni vos ventilet, & cælo regat! perprecor:

Nos, quod nostrum est, agemus ex
FIDE & LUBENTIA.



Lau

Laudes quaedam.

PETRI LOTICHII SECUNDI;

Laudatissimis Poëtis selectæ,

&
προλεγομένων instar præmissæ.

Ut noritis, dignum esse familiari cognitione

PETRUM LOTICHII SECUNDUM;

Quo

NON sæcula sexdecim secundum
NA primo tulerunt ferè Tibullo
Cultum qui magis exprimat Poëtam,
Musæ dicite, si quid est, fuitve
Unquam cultius elegantiusve?

Hilar. Cantinucul. lib. 2. Eleg.

Si mihi fortè Deus nunc diceret: Elige quicquid
Ex votis animi quæris habere tui.
Non Libyæ pecudes, Rhodij non divitis imbrem,
Non & Luculli, Pontificisq; dapes.
Non ego sæcundis flores é vallibus Ennæ;
Eligerem numeros culte Secunde tuos:
Quos quoties docili percurro pectore, summis
Ipse mihi videor raptus adesse Deis.

Lauterbach.

Imparibus quoties versus innectere nobis
Institat: huic Elegi non habuere parem.
At simul Heroum vel gesta vel arma sonabat,
Vix gravitas & Vox grandior ulla fuit.

B

Partice

Partite Pierides, Germani parcite Vates;
Lotichius Charitum gloria prima fuit.
Abraham. Læscher.

Lotichium dulcis non texit gloria venæ,
Quin animam coelo redderet ante diem.
Joan. Schoffer.

Tantum uno minor Tibullo;
Tu qui venâ suavi, qui mente Secunde
Sincerâ præstas, judicioq; vales.

Adam Siber.

Francia Germanis celebres tria sidera Vates,
Celtin, & Huttenum, Lotichiumq; tulit.

Pauli Melissæ.

Quibus omnibus assignabis
Jan Douzam, libr. 1. Epod. 8. Carol. Hugel. In Lotich. Obit.
Sebastian. Artomed. libr. 4. Eleg. 3. & Epigr. p. 157.

Pro Superpondio:

Meministis olim CREMCOVII;
STIGELIUS Venâ præstat; valet arte SABINUS;
Indole LOTICHIUS vincit utrumq; suâ.

Nostra his adderem.

Sed

Vereor illa dici, non Sabinorum, sed Ægri somnia.

Manum igitur ad Tabulam.

DE



DE
OBI DIONE
URBIS
MAGDEBURGENSIS.

Petr. Lotich. Secund.

ad

JOACHIM. CAMERAR.

SI vacatar canis aures praeberere querelis,
Nec dat aper levas omina spernis aves:
Accipe, quae primis, JOACHIME, cadentibus astris.

Accipe, quae vidi cum foret orta dies.
Nox erat, & placidos spargebant sidera somnos,
Quos levis aeriâ devehit aura viâ.
Plaustrâq; Manaliæ dum custos flecteret urse,
Somnia sunt curas hæc imitata meas,
Flumen erat, dubito fuerit num Rhenus, an Ister,
Spumifer aut Albis. Sed reor Albis erat.
Stabat arenoso Vetus Urbs in margine ripæ,
Omne cruentato milite cincta latus.
Castrâq; spectabat Virgo de manibus altis,
Fallor? an in levâ ferta fuere manu.
Flebat, & invitis miscebat fletibus iram,
Turrigero longas vertice scissa comas,

B 2

Ergo

Ergo fremens Quis me manet exitus? inquit, an ultra
Sors mea, quo tandem progrediat, habet?
En ego, quam fovi tot secula fortiter urbem,
Nobile cui de me nomen habere dedi.
Efferus ex imis evertere sedibus Hostis
Nititur, & venia jus superesse negat.
Hic Pietatis honos? ea Libertatis amata
Gratia? quid fieret, si scelus ausa forem?
Profit, & excuset, quod sim mihi conscia recti.
Et caput in Patria nulla quod arma tuli.
Sed prodesse parum est. Labes hinc prima malorum;
Hoc Misera (verum si profitemur) obest.
Mœnia de bueram natalia prodere, texi:
Fida nec innocuis civibus esse, fui.
At decus hinc nostræ quondam meruere puella.
Ad quas & populi summa relata fuit:
Gratia vindicibus jam nulla rependitur armis,
Cum tulerint alia premia, plector Ego.
Quid faciam? quâ spe nitam? quo lumina flectam?
Unde petam fessis perditâ rebus opem?
Non mea connubijs operatur in Urbe Juventus;
Pace bonâ casti gaudet Amoris opus.
Squalida vastatis apparent frugibus arva:
Hostis ab Argicolâ non sinit Arva coli.
Nec lego purpureos inserta recentia flores:
Non mihi flos pratium mollibus ullus hiat.
Funera bis vidi campis indigna meorum,
Damna bis adverso tristia Martetuli.
Hei mihi qualis erit (quod abominor) exitus Urbis,
Concidet hostili si reserata manu?
Quis tenerum pavidæ latus hauriet ense Puella,
Virginitas cujus prada Latronis erit?

Hæc

Hac oculi quaecunq; vident, cinis omnia fient,
Vtraq; dicetur flebile ripa solum.
Ergo dies veniet, quo mœnia nulla tuebor,
Parvaq; restabit nominis umbra mei;
Quâq; fuit murus terram proscindet arator,
Urbsq; sub his, dicet, collibus alta fuit.
Quid gravius victore Geta, miseranda tulissim,
Cæsare quam Magno bella gerente fero?
Atq; utinam sevipotius me viscera Thraces,
Persaq; & extremus dilaceraret Arabs.
Hoc tamen infelix casus solarer acerbos?
Vulnera cognata sunt graviora manus.
Majorum tumulos sacrasq; Tuistonis umbras
Testor, & hac tacito sidera celsa polo,
Me servasse fidem: Si mentior, ultima nunquam,
Quæ patior, tantis hora sit ulla malis.
Et tamen, ut furis insurgit atrocibus hostis?
Si libet in cineres se viat illameos.
Herbifera valles gelidiq; in vallibus amnes,
Quicquid & in terris dulce relinquo, Vale:
Este mei memores ripæ, Nymphæq; sorores,
Longa me in vestris regna fuere locis.
Plura querebatur: nostro sed protinus omnis
Corpore defluxit Somnus; & Orta Dies.
Mæstus, & obscura turbatus imagine noctis,
Sub matutini lumina Solis eram.
Montis in aeces si radicibus adjacet imis
Lucus, ubi varia consociantur Aves.
Est sacæ arbustis, vastisq; recessibus horror,
Per medium rauca volvitur amnis aqua:
Hic tepida speciem repetens in valle quietis,

B 3

Ergo,



Ergo, quod, aiebam, somnia pondus habent?
Cur nimium memini? verisq; simillima vidi?
Languidus aurorâ cur oriente fui?
Dum queror, & varijs turbatus obambulo curis,
Mobilis arboreas impulit aura comas.
Ecce, quatit rapidis Jovis armiger aera perennis,
Albus & incurvis unguibus hæsit olor.
Nulla fuga est capto: spectantq; silentq; volucres:
Aspera, dum fulva perpetis arma timent.
At vigil, auroram qui cantibus evocat, ales
Audet ab aerijs obviis ire iugis.
Tunc volucer sevas exercitus undiq; pugnâs
Suscitat, alarum plausibus antra fremunt.
Interea remonent subeuntia lumina solem,
Præ sagiq; micat fulminis igne polus.
Terreor, & vanos reor hæc quoq; fingere somnos:
Sed patulâ vigilans ilice nixus eram.
Mox pauca redeunt, & ovantes sole reducto,
Paulatim molli pace fruntur aves.
Et nive candidior veluti iam fata vocarent,
Fundit olor dulces ad vada nota sonos.
Protinus exclamo Superi mea vota secudent,
Inq; Notos, qui quid triste minatur, eat.
Nec minus indigenis voveo sua munera Nymphis,
Et palmis haustas libo duabus aquas.
Hæc tibi, cui fas est casus aperire futuros,
Carminibus volui non reticere meis.
Plura quidem vidi, sed quæ celanda putavi:
Valle sub arcanâ cætera quercus habet.

Querelis



*Uere*lis, quæ panis quottidianus obfesorum.
Sic *Gunther*. libr. 3.
Quumq; ruinosis procumbunt oppida muris.
— patimur *querimurq;* ruinã. *Omina spernis*. Ter-
tiam in hoc *Choræobacchio* produci propter positionem,
quam vocamus, docent Poëtarum *Semones*. Legem tamen
hanc, & alibi, & ipso hoc carmine vers. 13. & subinde vers.
16. noster migravit. vid. *Taubm.* in præfamin. *Melodæi*
Iust. *Zinzerling.* *Critic.* *Iuvenil.* promuls. diatrib. *Calp.*
Barth. not. ad *Ecl.* 2. *Calpurn.* & *Ecl.* 9. ubi monet, *Voca-*
lem interdum fieri longam duabus consonis sequentibus
hisce; CR. FR. GR. PR. TR. Vocales tamen etiam ante
SC. SP. ST. STR. corripit, *Veterum* & *Recentium* exem-
plorum *Farrago* testatur. *Veterum* vid. apud *Barth.* dict.
loc. *Recentium* huc produceremè *Delicijs* poëticijs, quas
Critica Lampas Ranutius *Gerus*, seu quod idem est, *Ianus*
Gruterus, *Orbi* poëtico communicavit. Verùm jam non
dicam. *Vinetum* hoc alibi cædetur. Ex omni messe spicam
tantum unius campi producam: *Ian. Lernut.* in *Falsijs*,
Ocellis, *Initijs* &c. poëmatibus suis omnibus, *Vocalem* ante
SP. semel tantum extendit; trigies contra curtavit. ante
SPL. breviter ante SPR. breviter. ante SC. vigies sexies
breviter. ante SCR, novies breviter. ante ST. semel ultra vi-
gies breviter. ante STR. quater & decies breviter. ante
CR. tamen semel longulè extulit.

Omina. Omen quasi Ore Mente profectum. *Pare. Indic.*
Plaut. est prædivinatio rei futuræ, quæ fit Ore *Hominijs*,
& *Hominijs* poëtici; nam poëtarum est præfagia scribere,
inquit *Æn. Sylvius.* libr. 1. *Epistol.* 72. de diat. *German.*
Talis erat *Lotichius* noster, *Musarum gloria.* *Posth.* libr. 1.
Elegiar. 7. qui carmine *Lothon* haberet. *Mich. Haslob.* fa-
mã venãve secundus *Vatibus* *Aufonijs.* *Ioan. Major.* parent.
parent.

parent. Philippic. 2. cui dulcis gratia venæ. Ioan. Schosfer.
Der lieblichste / wie es die Gelehrten dafür halten / vnter allen
Deutscher Nation Poëten; Petr. Albin Meisn. Bergchron.
titul. 1. pag. 13. Huic ergo legi fuit audiens.

Omina. passim in militijs consueta capi à curiosis
Volucrum observatoribus in prælium ituris, conjectanti-
bus utrapars bellantium Victoriam eslet deportatura, cla-
rum est aliquoties ex Andino Musagetâ. lib. 3. Æn. Nym-
phas venerabar agrestes, Gradivumq; Patrem, Geticis qui
præsident arvis, Rite secundarent visus, Omenq; levarent.
lib. 7. Infandum cuncti contra omina bellum
Contra fata Deum, perverso numine poscunt. Ibid. lib. 3.
Omen, quos in gramine vidi, Tondentes campū latè, lib. 5.
Nec maximus omen Abnuvit Æneas. lib. 9.
Sequor omina tanta Quisquis in arma vocas. lib. 10.
Primus turmas invasit agrestes
Æneas omen pugna: stravitq; Latinos. lib. 12.

Hanc (Dirarum) unam celerem demittit ab æthere
summo Iuppiter, inq; omen Iuturnæ occurrere iussit. lib. 5.
Seraq; terrifici cecinerunt omina Vates. vid. Alex. ab
Alex. lib. 5. Genial Dier. Pare. Lexic: Plautin. Mich. Pic-
cart. Observat. histor. polit. dec. 3. c. 5. Meurf. Auctar. Phi-
lol. cap. 6. Peucer. de Divinat. de Roman. Iustin. lib. 24.
Iohan. Ludovic de la Cerd. Virgil. Æneid. pag. 322. Sam-
Dresem. ad Ioseph. Iscan. pag. 66. Philipp. Cluver. lib. 1. Ger-
man. Antiquit. Cap 36. de Celtis & Gallis, apud quos hæc
conjectandi ratio fuerit usitata: & Germanos huius rei fuis-
se peritissimos, memorat Ioan. Wolff. Lectio. memorab.
centen. 16. Anno 119. Originem eius refert ad Prometheum
Natal. Com. lib. 4. Mythol. Cap. 6. ad Noham alij; ad
huius nepotem Tuistonem alij, quem ipsum antestatur hoc
carmine



carmine Lotichius vers. 61. Et sanè Tuistonis huius, qui primus Germanorum & Sarmatarum Rex fuit, Legum quas suis socijs sanxit Quarta fuit hæc: *Auspicioꝝ, sortiumq; disciplinam doceri; ex quorum observatione sacerdos prius Deum precatus, cælum suspiciens, futuros eventus interpretetur.*

Omina. Quid de tali disciplinâ statuendum, vid. Pisid. in Κοσμογρ. v. 1097. Euripid. in Helen. qui πτερωτῶν φθέγματα φαῦλα, καὶ ψευδῶν πλέα i. e. Volucrum voces malas, & mendaciorum plenas fugillat; & earum curiosos Cyrill. in Hoseâ objurgat. Ammian. autem Marcellin. libr. 21. inquit: Auguria & auspicia, non Volucrum arbitrio, futura nescientium, colliguntur. Nec enim hoc, vel Insipiens, quisquam diceret. Sed Volatus avium dirigit Deus, &c. Quia amat Benignitas Divini Numinis, seu. quod merentur homines, seu quod tangitur eorum affectione, his quoq; artibus providere, quæ impendent. De eventibus Ominationum passim Richard. Dinoth. Adversar. de Prodig. Balthaf Exner. Valer. Maxim. Christian. lib. 7. de præfag. cap. 38. de prodig. ante cladem cap. 46. de Vaticinijs libr. 9. cap. 8.

Lævas per Aves. Lævum & Sinistrum Auspicium, plerūq; Romanis faustū. Plaut. Pœnul. act. 4. sc. 4. Epidic. a. 2. sc. 2. ubi VVilek. Ferijs Canicular. Virgil lib. 3. Æn. præpetis omina pennæ. libr. 4. Georg. Numina læva sinunt, auditq; vocatus Apollo. vid. Erythr. Indic. Sic Bonam scævam pro Bono augurio, autoritate Iani Gulielm. Groslotius Lislæ. Epistol. Philologic. Goldast. 74. Epistol. 50. Victoriæ nuncias Hirundines aliquando fuisse conspectas Beat. Rhenan. meminit. Lævas autem Aves etiam inoptati & ingrati esse auspicij, fuerit exemplo Phœdr. libr. 3. fabul. 7. ubi vid. Contr. Rittershus. Et quidem Avibus unde sit Divinatio, post alios de la Cerda ad Virgil. lib. 1. Georgic. pag. 268. C collegit

collegit : quem videte , & ad Eclog. 9. pag 172.

Cadentibus astris. Cadendi significatum ex Astronom. Virgilius, & synchroni, sumserunt accommodatò, pro *Cesfandi* voce. Liv. lib. 25. *Cadente* Euro, qui per dies aliquot spiraverat, Ovid. 8. *Metam.* *cadit* Euris, & humida surgunt Nubila. Virgil. 2. *Æneid.* Nox humida coelo Præcipitat, suadentq; cadentia sidera somnos. Ubi censet de la Cerda, tempus extremum Noctis; vel saltim illud, quo nocte mediâ exactâ dicuntur jam Astra cadere, & labi, hoc est, post mediam noctem : vel sub auroram : albescente jam sole, exortu Auroræ : exactâ prope Nocte : quali sensu Lotichius noster usus est. Sumsit hemistichiû hunc à Virgil. lib. 8. Surge age nate Deâ, primisq; cadentibus Astris. Junoni fer ritè Preces. De altero stellarum casu seu delapsu, quo futura tempestas indicatur Virgil. 1. *Georgic.* v. 366. Angel Politian. in *Rustic.* qui non huc facit.

Cum foret orta Dies. Dies hic pro sole, exemplo Virgilij lib. 1. *Æn.* v. 92. Lucret. Lucida tela diei. lib. 1. & 2. ubi vid. Gifan Conlectan. Claudian. Rapt. merferat unda Diem. Senec. *Controv.* 16. Horridæ tempestates absconderant Diem. Dicitur ORTA DIES cum sidera defunguntur, & lux interfecta resplendet. Tertullian. *Apolog.* ita Sol apud Iul. Firmic. lib. de myster. profan. religion. cap. 8. de se loquitur: Quis Vos ad hoc tantum facinus impegit, ut profano nefariæ cupiditatis errore, & Mori me dicatis vestro arbitrio, & Vivere?

Nox erat. Somnia cuius Noctium parti congruunt. An verè veriora sint somnia, quæ sub diluculum; an quæ sub primam noctem evenerint, à Physiologis Academicis & Peripareticis controversia est. Lotichius haut dubiè cum Petronio loquitur: Vix prima silentia noctis Carpebam, & somno lumina victa dabam. Horatio lib. 1. *sat.* 10. post mediam noctem visus, cum somnia vera, &c. ex sententiâ Tertullian.

Tertullian. libr. de Anim. cap. 48. Certiora & colatiora
somnia affirmant sub extremis noctibus. Heliodor. libr.
1. Hist. Æthiop. Cedren. Hippocrat. Epistol. ad Philopcem.

Placidus somnos. Quia somni sunt placitum laborum
& solitudinis effugium, de quibus vid. fufisi. Stucki.
libr. 3. Antiqu. convival. cap. 25.

Quos levis aëria. Quomodo Aëria? Veterum fuit opi-
nio, somnia ab Inferis emitti. Virgil. 6. Æneid. v. 893.
Imo etiam à Superis, exemplo Palinuri libr. 5. Æn.
Levis ætherijs delapsus somnus ab astris, Aëra di-
movit tenebrosam, & dispulit umbras. Insuper somnia coe-
lestia seu coelitus immisa à Iove, vera esse, vid. Gualt. Cha-
bot. ad Horat. libr. 3. od. 27. de port. Eburn.

Somnia curas imitata. Somnia reliquæ sunt carum re-
rum, quas vigilantes sensu percipimus. Aristotel. vid.
VVeitzium Ovid. pag. 351. & Prudent. Cathemerin. 6.

Mens soluta curis,	Sed sensa somniantum,
Cui est Origo Cœlum	Dispar fatigat horror;
Purusq; fons ab æthrâ	Nunc splendor intererrat
Iners jacere nescit,	Qui dat futura nosse, &c.
Imitata multiformes	Quem rara culpa morum,
Facies sibi ipsa fingit,	Non polluit frequenter,
Per quas repente currens,	Hunc Lux serena vibrans,
Tenui fruatur aurâ.	Res edocet latentes.

Confer. Prudent edit. VVeitzian. Fabric. pag. 318. Bisciol.
libr. 19. tom. 2. horar. subseciv. cap. 20. Lucret. lib. 4.

Quoi quisq; ferè studio devinctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati:
Atq; in quâ ratione fuit contenta magis mens;
In somnis eadem plerumq; videmur obire.

Causidici causas agere & componere Leges,
Induperatores pugnare ac prælia obire. vid. ibi Lambin.
Sa. Dresem. ad Iscan. Omnia somnia infra curam ponis; pla-

cut Epicuræis: industriè observari, Stoicis vid. Rev. Claris.
Dn. Meifner. Schol. Babylon. & Georg. Fabr. ante citat loc.

Flumen erat, dubito. Elegantissima διαπόρσις. Ciceroni.
Quid putem? *sed Reor.* Talis item *ἀπόδοσις.* Virgil. 12.
Æneid Ut potius reor.

Rhenus Annis occidum Germaniæ latus antiquissimis
temporibus claudens ex Alpibus Celticis paulò extra
Rhetiam oritur, inde versus occidentem profluens ad si-
nistram Galliam & eius incolas, ad dextram Germanos
dividens, tandem in Oceanum exiens primus atq; maxi-
mus annium, pulcherrimus, & à seipso, & ab utriusq;
ripæ culturâ; Nympharum pater anniumq; cuius tractus
non tantum longissimus, sed et cultissimus, oppidis, villis
etiam, supra Nicrum, Mœnum, ALBIM, Visurgim. Cujus
munera, dotes, decora naturalia Auson. in Mosell. &
Marqu. Freher. ibid. tum parte 2. Origin. Palatin. cap. 18.
part. 1. cap. 3. Philip. Cluver. libr. 1. Antiqu. German. cap. 11.
libr. 2. cap. 28.

Ister. qui & Danubius. Unde Binominis. Erythræ.
Ind. Virgil. Lucano, permeat Orbem. Natal. Com libr. 6.
cap. 8. Marqu. Freher. ad Mosell. Ausonian. de la Cerda:
ad Virgil. Georg. p. 367.

Albis Soli Bonitate celebris. Cromer libr. 1. de reb.
Polon. cap. 14. Dubrav. in Bohem. flumen ingens in Occa-
ni littore, vulgo nunc accolis Germanis septentrionalibus
die *Elbe* / inferioribus, die *Elve*: Venedis sive Slavis, die
Labe; forte metathesi literariâ. Græcis ΑΛΒΙΣ, ΑΛΒΙΩ. Stra-
bon. lib. 7. Ptolom. in German. Dion lib. 55. Latinis quibus-
dam Albia; Histor. Archiepisc. Bremens. in Adeldag. Chron.
Slavic. cap. 7. Paul. Lang. Chronic. Citizens. M. Adam.
Histor. Eccles. Hamburg. lib. 1. c. 57. c. 1. ubi: Nobilissimi
fluvij Saxonix sunt, Albis, Sala, Visura, Maximus Albis.
qui nunc ALBIA nomen habet, Romanorum etiam testi-
monio.

monio prædicatur : cuius ortum fecerunt trans Bohemi-
am : mox Slavos dirimit à Saxonibus, juxta Magdeburg
in se Salam fluvium recipit : nec longè ab Hammaburg i-
pse Albia mergitur in Oceanum. *So ist die Elbe lange durch
Sachsenlant gerunnen.* Tanheuser. Eginhart. in Karol
Magn. & Annal Pipin. profectus est Carolus Magnus ad
Albiam ; castrisq; eo in loco, ubi Ohra & Albia confluunt,
ad habenda stativa collocatis ; tam ad res Saxonum, qui
citeriorem ; quàm & Slavorum, qui ulteriorem fluminis
ripam incolunt, componendas operam impendit. Idem
Maximi amnes, Rhenus, Danubius, Albis, & Sequana.
Strabo vocat, & Albium. Celtes. Maximus, Albis.

Qui rapidus mediam fluvio perlabitur Ohram, Et quam
vis Rhenus, sic Vistula distat ab ortu Tandem & Cimbriacum
vagus exoneratur in æquor, ait. Spiegel. ad Bartholin Austr.
lib. 9. Noster. Eleg 3. Propter aquas, Pater Albi, tuas &c. sic
Elias Reufner. Quâ Luneburgiacas volvit pater Albis
arenas. Hutten Panegyric. ad Albert. Archiepisc. Mogunt.
& Magdeb. gratisimus Albis, Philipp. Melanchthon.

Ante petet cursu Bohemica rura supino,

Unde in Saxonicos defluit Albis agros. Jacob Micyll.

1. Silvar. Albi Bohemo in gelidis qui montibus ortus

Cursibus arctoum tendis in Oceanum. Ioan. Major. in
Hort. Adam.

Mænus at oppositis sua cornua dirigit undis,

Te piscese sequens Francorum Rhene per agros

Naba lacus, Istri sequitur, Sala turbidus Albim, 2. Simfon.

Albis Saxonicas ubi cursibus alluit urbes.

Noster Eclog. 6.

Pater Albis ducibus, bello inclytus Albis. desino in Fidleri
charmosyne clarissimâ :

Salve Teutonicis ô flumen amabile terris,

Cui tribuit summum quælibet unda locum.

Major

Major es Eridano, nec Idaspi laudibus impar,
Qui vehit ex imis aurea dona vadis.

Se deberet tibi Germania tota fatetur,

Quicquid ab ingenuâ nominis arte gerit.

Tum quod ipso Druso nobilis est hic fluvius qui præsidia
atq; custodias in tutelam provinciarum ubiq; disposuit
per ALBIM. Luc. Annæ. Flor. lib. 4. cap. 12. Plura Philipp.
Cluver. libr. 3. Antiq. Germ. Dubrav. libr. 1. histor. Bohem.
cap. 1. Natal. Comes lib. 1. Histor. c. 6.

Rhenus, Ister, Albis: Triga plurimis Poëtis iterata. Pau-
cissimos do. Martin. Prætor. lib. 3. de Fortitud. Princip.
Non tardare suis poterunt Te Rhenus, & Ister, Cornibus,
Arctoo non frigore maximus Albis. Ioan. Maior. in Mauric.
Norunt, & Rhenus Pater, & violentior Albis,
Et tumidis ferus Ister aquis.

Joan. Lang. Epinic. Imp. & Reg. Romanor.

Albis tropheum quod venientibus

Miretur annis Posteritas tenet,

Virtutis haut Rheno, nec Istro,

Laudibus inferior futurus. Idem.

Ecclesiæ quod præsidium Deus

Servavit ingens propitius suæ,

Et robur Orbis Christiani

Ex medijs rapuit procellis.

Vos quotquot estis Martia pectora,

Seu principes Vos seu populi pij,

Quos Victor Albis, quos & Ister,

Rhenus aquis vel adit citatis, &c.

Vetus Urbs. puta, ultra sedecies centenos annos, Andr.

VVerner *Stifts* Chronic. pag. 2.

Margine ripæ. sunt qui *Ripam* fluminis & amnium: Lit-
tus autē totius maris esse, censent. Verùm hæc Distinctio nō
est perpetua. Dicitur autem Ripa, quasi Rupa, seu Rumpa:
ideo,

ideo, quod ingenti conuasatione fluctuum rumpatur, seu
potius ἀπὸ τῆς πίπης, id est, ventorum impetu, quo venti-
latur & jaçtatur. Chabot, ad Horat. Aufon. Popm. Diffe-
rent. Becman. Origin.

Castrag. Castra Grammaticis dicuntur quasi Casta:
quod in castris vivendum sit Castis, castitatem colentibus,
& vigore disciplinæ militaris strenuè servantibus, ac mere-
triciam mollitiem, imò omnè libidinem ex animo castran-
tibus.

Fallor? Rectè dubitat: Quiaserta seu coronas in rerum
tempestatibus & tumultu gestare nimis odiosum antiquis
VVeitz. ad Ovid. Trist. eleg. 6. v. 1. Horatij sensu. Fallor? est
ignorandi, vel obliviscendi; non fallendi, nec fraudandi
nota.

Serta fuere manu. De his, ut & ipsâ Urbis Vetustate; & Vir-
gine de mœnibus spectante; alibi prolixè disseram.

Miscebat fletibus Iram. Iram quæ Cos Virtutis ac For-
titudinis incentivum est Stoicis: & alijs. Sed si quis eâ
rectè utatur. Plato libr. 4. de Republ. Læl. Bisciol. tom. 1.
lib. 4. c. 1. VVeitz. Ovid. pag. 46. 153.

Vertice scisfa. vide Omina spernis. & de talis syllabæ
correptione Virgilian. Indic. Erythræi.

Vertice turrihero. Quasi turres gerente. Terris, à terro
re quem hostibus incutit.

Nititur. Verbum hoc in rebus operosis & onerosis ac
elaboratis frequentius: pro Elaborat. nervos omnes inten-
dit, conatur maximo opere; molitur maximè. Gualth. Cha-
bot. libr. 1. Epistol. 13. Horat.

Venia jus negat. Iscan. lib. 1. Bell. Troian summè miser
est, cui nil sperare relictum est.

Hic Pietatis honos? Huic simile est illud Rodolph.
Gualter. in Obit. Parchorff.

Abstractos proprijs laribus crudeliter hosti

(Hæc

(Hæc meruit Pietas præmia?) carcer habet.

*Hic Pietatis honos? ea Libertatis amat e gratia. Veræ causæ Obsidionis: Pietas, id est, Religionis puræ assertio: Libertatis vetustæ defensio. Has corumpere nobis adversarij fictitio fermento, præsertim Paul. Iovius in Dialogo, (quem, qui carent ipso autore, inveniunt in Lusib. poëticis Alberti Molnar.) conati sunt. Quam farinam edepfuit Vurstisius Mathematic. Basileens. apud Ioan. Wolff tom. 2. lection. memorab. centen. 16. Carolus V. Imperator, cum adversus Protestantibus bellum movere vellet, prius non solum pacem & fœdera cum Turcis & Gallis sanxit: sed etiam Helvetios una cum Papâ rogavit, ne se interponerent. Non enim arma sumi contra Religionem; sed protestantium inobedientiû rebellionem. Religioni verò mansuram fore pacem salvam & incolumem. Verum, in fine depræhensum consilium fuit & animus. Vultis alia? Agite: *Magdeburgensium Obsidioni causam præbuerunt.**

1. In genere, eadem quæ D. Luthero ad defectionem ab Idolomanijs Papisticis. quarum abominatione perspecta Magdeburgenses eas repudiaverant. de quibus confer. Doct. Sledan. Oration. de Papa Roman. Ioan Closij defension. Luther. Evenij nostri palm. secular. & demonstrat apologet. Tyrani Pontific. pag. II. n. 15. & p. 16.

2. In specie: Interna civium disensio, lerna illa malorum. Sic enim Natal. Comes lib. Histor. pag. 59. memorat. Aloysius Rizzanus exploratum missus à Cæsare *Magdeburgum, Urbem munitissimam, que est una è primarijs Civitatibus Saxonum*; nunciat Cæsari, ut acceperat à Captivis: *Cives eius Urbis plurimum inter se dissentire: quod alij Imperij; alij Liberam Administrationem, magis eligendam censerent.* (Quæ Urbs est sita in ripâ Albis fluvij) quare Cæsar credidit se brevi illâ esse potiturum. Ubi spes & consilium Cæsaris fuisset ad Cives delatum, universa seditio atq; discordia consopita

confopita est, atq; omnes unanimes ad urbis defensionem
conjunctis animis continuo se converterunt, &c. vide si
vacat seqq. His rationibus diligenter à Cæsare considera-
tis, mutavit consilium, reservavitq; hoc totum negotium
in proxima comitia, per quæ si cõtumaces visæ fuissent libe-
ræ Civitates, cõdemnatæ Imperatorij exilij, mox expertura
essent vires omnium amicorum, Cæsaris, ut multi pollice-
bantur. Cæsar his ita confirmatus Halam versus iter carpit
(quæ civitas sita est in ripâ Salæ fluminis,) quo tribus ca-
stris pervenit, &c.

3. Foedus Smalcaldicum, quod lividi Papistæ Con-
spirationem appellant; scilicet, quia contra suas Pontifi-
ciorum nugas, & pro Christi Nostri assertionem Magdebur-
genses stetit: à quibus & Divus JOHANNES FRI-
DERICUS præter alios strenuam operam & suppetias,
non sine Deo, senferat. Merckel. de Obsidion.

4. Magdeburgenses contra Brutum illud Rationale
INTERIM (Welches hatte den Schalek hinter ihm Joan.
Sifard. Cometen Spiegel. cuius Acrostichin fecit Andr.
Verner. Stiffte Chronic. Impia Nunc Temo Et Romanos
Inveho Mores) à quo alij omnes absterriti, quasi panico
terrore defidebant, publicè scripserant, & assentiri se
illi contra Deum & puram Veritatem non posse profes-
suerant. Vis hujus rei Testimonia: Cape, selecta ex Hosti-
bus & Amicis Lutheranae Veritatis.

^{sup} Natal. Com. libr. 3. p. 69. Illi Libello (Sphyngi Au-
gustanae) multi resistebant: sed præcipuè Constantienses
Magdeburgiq; cives, & alij nonnulli Saxoniae populi.

Ubbo Emmius libr. 9. Rer. Frisicar. Anno M. D. L.
ad sedandas dissensiones ex Religione existentes, Conci-
lium Liberum decretum: cautumq; Protestantibus de peri-
culo à Cæsare. Ortâ agitâtâq; controversiâ inter Cæsarem
& fratrem Ferdinandum de successione in Imperio: de
^{sup}

D

Bremensibus

Bremensibus & Magdeburgensibus quoq; querelæ illatæ,
& contra hos ex decreto Ordinum bellum motum, ac-
gestum Duce Mauritio Saxone: simul Comitiorum finis
factus, circiter Eid. Febr. Anno M. D. L. quod Cæsaris
FORMULÆ INTERIMISTICÆ locum non
darent.

Thuan. lib. 4 Magdeburgici Anno 1550. crebris edictis
proscripti, cum procellam imminentem, metuerent rursus
VIII Kal. April. novum scriptum edunt; quo iisdem, quas
superiore Anno adduxerant, rationibus, neq; divino, neq;
humano jure perduelles se esse demonstrant. Quinimò eos
qui contra se arma sumant, **CHRISTO ipsi BELLUM
INFERRE.** Postremò, objecta crimina & calumnias,
quas **DEI & LIBERTATIS GERMANICÆ**
hostium figmenta esse ajunt, multis verbis diluunt.

*Jochim. Camerar. Annotat. rer. Magdeburga Liber-
tatis unica præ alijs Patrona.*

Georg. Fabric. libr. 9. Illustr. Saxon. Magdeburgum,
Urbem illam celebrem & fortissimam obsidere incipit.
Heideccius pro eximiâ singulari suâ ergo puriorē Religio-
nem fide & constantiâ, proq; eâ erga Civitatem **OB SINGU-
LARE DEFENSÆ** eiusdem **RELIGIONIS STUDIUM**
benevolentia, suis postea moderatis consilijs Electorem
Mauritium adducit, &c. *Ibid.* Propter veram, puramq;
ac apertam, ingenuamq; **VERBI DEI** Confessionem, &
Libertatis à Majoribus acceptæ propugnationem, quâ
nullæ justiores, æquiores, graviore causa inveniri ex-
cogitariq; poterant. Abraham. Saur. Calendar. Histor.
Anno 1550 52. Septembr; ubi habet. *Umb Christlicher
Befentniß willen / vnd daß sie das Interim nicht annehmen
vollen / belagere.* D. Henr Eckhart. Indic. Chronol. rer.
memorab. Anno 1549. Magdeburgenses **LIBRUM
INTERIMISTICUM** averfantes à Cæsare proscribuntur,
qui

qui scripto se purgant, & Recusationis suæ causas ostendunt. Planissime legatur *Der Magdebürgischen Pfarherrn vnd Prediger Christliche Erinnerung / daß die Belagerung vnd Verfolg wegen Bekentniß des Evangelij beschehen.* Anno 1550. apud Hortleder, tom. 2. Belli German. libr. 4. huc accense manifesta testimonia Georg. Nigrin. *Gülden Fluß der Römischen Kirchen* libr. 7. ex Sleidan. libr. 22. Didac. Apolephth. *Regenten Keyser Chronic.* pag. 812. Pluria alibi.

Quod sim conscia recti. Paul. Eber. de Johan. Frideric. eâdem causâ utitur: Recti sibi conscius Heros.

Pro Lege & Patriâ fortia bellagerens.

Sic: Ut murus vastam tutatur aheneus Urbem?

Crudeli agrestes Marte premente casus:

Sic hominem murus tutatur aheneus istum,

Qui nequit ullius conscius esse mali.

Christian. Pier. in Symbol.

Instar, Virtutis theatrorum consciamens est.

Alb. Frid. Melleman.

Contra: *Matthi. Holtsuart.*

————— Ut Vesicæ si paucula pisa tument

Indideris, caudæ nexuerisq; Canis:

Per plateas, perq; ille domos, perq; irruit agros.

Quem fugiet, nescit: sed tamen usq; fugit.

Conscia sic quem mens agitat, nunquam ille quiescit:

Quælibet & pavido concitat umbra metum. *Et:*

Istud habet damni Vitium inter cætera, quod mens

Palpitat adsiduo flagitiosa metu,

Semper enim, vel si non deprendatur, in ipso

Sese deprendi posse putat scelere.

Deq; suo, alterius quoties de crimine sermo est,

Cogitat, & credit se magis esse reum.

Inq; dies timor hinc crescit. De moribus ergo

Cura fit: Intrepidus nos bonacura facit. Ludov. Big.
Profit, & excuset. Justa causa Spiritum attolli jubet,
Sæpe impetravit veniam confessus reus.

Quantò innocenti justius fuit dari?
Phædr. in fabul. Verùm hodiè (ubi plus scientiæ quàm
conscientiæ regnat in hominum animis. Just. Reiffenb. ex
Bezâ in Amphitheatr.) Integritatis qui sinceræ conscius
A noxiorum premitur insolentijs vid. Not. Rittershus.
ad Phædr. fabul.

Caput in Patria. Germaniæ. Alioqui contra Patriam
socius, ipso facto, non jura modò sed et vitam amittit.
Quia scelus patricidio gravius committit. leg. & Æschart.
sect. 8 thes. 20. lib. 1. Anatom. Offic. Ciceron.

Nulla quod arma tuli. Arma Festus ab armis, id est,
humeris, quibus arma dependent, ubi geruntur, ducit.
Chabot. autem lib. 1. od. 8. Horat. ex Herodian. ab ἀρω
futur. Æolic. verb. ἄρω: quod aptandi vim habet, ait deri-
vari; quod arma armis accommodentur, si sint apta. Alij
Arma quasi ἄρω autoritate Eustath. ad lib. 2. Iliad. quod
Vox Currus (id enim est Græcè ἄρω) etiam de Armaturâ
dicatur:

Sed prodesse Parum. Aliàs: Nihil hîc fecisse benignè est.
Labes Virgilian. 2. Æn. Hinc mihi prima mali labes. Labes
vulgari notatu macula, seu vicium enorme; hoc loco plus il-
lo signat: puta, grandem imminutionem, conquasationem,
ferè destructionem. Sic Ciceroni, Labes & perniciës pro-
vinciæ. Maximas Republic. ab adolescentibus labe-
factatas, &c.

Mænia debueram natalia. Civitas natalis; natale solum
Ovid.

Texi. Maluerunt mori fortiter, quàm castrum reddere
violenter, ut de Kenelvuortho loquitur Matth. VWestmona-
ster. Flor. histor. anno grat. 1266. Et sane; Non minus
rectum

rectum est mori pro patriæ Reipublicæ salute, quàm pro Religione. quia proximo jure Charitatis omnia debentur. quidni ergo & Reipublicæ deberentur? Et summum flagitium fit, privatum quemq; bonum anteferre salutis publicæ.

Fida fui. Fidus & Fidelis differunt. Fidus in rebus maximi momenti, ut: Fidus Medicus, cui Vita committitur. Fidus amicus erit; Famulum Fidelem dicitur; Fl. Clar. Fidelis in minoribus; ut: servus fidelis: unde non tutum est aliquid certi sibi policeri. Hinc & Fides in mente; fidelitas in Opere dicitur. Chabot. Horat. Epist. 8. seu Fidelis fit, Fidus nascitur. Cornel. Fronto. vid & Aufon. de different.

Nostræ puellæ. Charites, Gratia, Divæ: queis Venus stipata colebatur. imò cæteræ vicinæ fæderis Hanseatici ac Smalcaldici Civitates.

Populi summa. Populus ἀπόλις repetitione primæ syllabæ. Est enim Populus innumerabilis consensu sociatus, & communione utilitatis munitus. Quâ voce omnes Ordines civitatis continentur. Plebs autem de vulgo tantum à Patricijs & Civitatis proceribus segregato.

Gratia non rependitur. ex Theognid. Ἀκρόπολις καὶ πύργος ἐὼν κενεόφρονι δήμῳ κύρην ὀλίγησ τιμῆσ ἔμμορεν ἐσθλὸσ ἀνήρ. Vir, qui pro populo fuit arx & turris avito, Cyrne fit huic (quavis) gratia parva (Bono:)

Vindicibus armis. Virgilio fuisset Victricibus armis, libr. 3. Æn. Victriciaq; arma secutus. Arma Latinis antiquis etiam quævis ornamenta dicta Lips. libr. 2. Saturnal. c. 12. Pugnatorijs armis batuere. vid. eund. cap. 19.

Cum tulerint alia præmia. Præmia Donato sunt Virorum fortium, in Eunuch. a. 5. sc 9. quæ non dabantur, nisi post exantlata certamina. Quæ verò hic præmia? Fortasse *Gratiareparta Casaris.* de quâ Natal. Com. libr. 3. pag 63. Cogitarunt de deditioe Primi Omnium, Treveses

(Hamburgenses) Saxoniae populi, qui ad Chersonesum
Cimbricam respiciunt. quorum Urbs sita est in ripâ Albis
fluvij, potentissimi inter liberas Civitates, Noreiam pro-
fecti, in amicitiam Cæsaris recipiuntur, iisdemq; condi-
tionibus, quibus reliquæ Urbes acceptæ fuerant. Jus præ-
terea sunt, centum nummum millia in bellicos sumtus
persolvere, quæ deditio fuit pergrata Cæsari, quod per eam
putabat se facilius Lirimiros & Phamiranum & Tulisurgi-
um (id est, Lubecenses, Bremam, & Brunsvigam) ad de-
ditionem posse compellere: & finitimas his præterea civi-
tates. *ibid. pag. 61.* Multæ Civitates legationes mittunt, gra-
tulatum Cæsari de Victoriâ à Landgravio: Rogantes *Com-
missorum veniam*, ac petentes in *amicitiam admitti*. Quibus
omnibus data est venia, & **LIBERALITER** sunt in *amicitiam*
receptæ. Confer. Dissertat. Ecclesi-Histor. Politic. cuiusdâ
Anonymi. Typis Spiessian. de Anno Jubilæo data, pag. 29.

Quâ spe nitatur, Spes servat afflictos. vid. VVeiz, Prudent.
pag. 692.

Fessis rebus. Cornel. Scribon. Fessis dulcissima rebus
Donatur requies. Virgil. aliquoties. præfert. lib. 3. *Æn.*
Quem fessis finem rebus ferat, unde laborum Tentare au-
xiliû, jubeat, quo vertere cursus. lib. II. Consulite in mediû,
& rebo succurite fessis. Lucan. lib. I. Da moenia fessis. Budæo
explicatore *Fessi* dicuntur, *οἱ τῆς στρατείας ἀπαυμένοι*: ces-
santes à militiâ.

Non mea connubijs. Connubia, vox, secundum producit
Virgilio libr. 3. *Æn.* Hectoris, Andromache, Pyrrhin' con-
nubia servas? *libr. 4.*

Per connubia nostra, per inceptos hymenæos. *Ibid.*

En qui nostra sibi bello connubia poscunt: *libr. 12.*

Prodiderim natam & conubia nostra petentem?

Sed & corripit Virgilio eidem *libr. 1. & 4. Æn.*

Connubio jungam stabili propriamq; dicabo. *ibid. libr. 4.*

Connubij,

Connubij, summoq; ulularunt vertice Nymphæ. libr. 3.

Connubijs arvisq; novis operata juvenus. libr. 7.

Ne pete connubijs mentem sociare Latinis. Ibid.

Fama loco; men' connubijs ambire Latinum. libr. 12.

Cum jam connubijs pacem felicibus, esse, libr. 7.

Quantum in connubio natæ thalamoq; moratur, vid. de
Figuris Erythræ.

Non mea connubijs, &c. Pacis, & Belli adjuncta seu
circumstantias more poëtarum fufiusculè sequitur Loti-
chius. Collationem utriusq; planam apud Martin. Prætor.
libr. 2. de Princip. Prudent. legis. Pacis sepultæ Dialogum
cum Rustico Jacob. Herlomis, propter artificium hîc ad-
scribam:

R. Quis jacet hîc? P. Titulum lege. R. nescio. P. num tibi
nota est

Litera? R. non. P. quis tu? R. Rusticus. P. ergo rudis.

R. Ede Tuum nomen. P. sum pax. R. PAX illa Tonantis

Filia? P. Rem capis. R. hîc quæ tibi iuncta? P. Fides.

R. Hæccine cana Fides? P. etiam. R. quis clausit in isto

Vos tumulo? P. Regum nobiliumq; furor.

R. Commeruistis enim. P. novit Deus. R. Orbis ademptas

Vos gemit. P. & merito. R. me mage nemo! P. piè!

R. Quidni? Ruris eras Deus. P. adde quid. R. urbis alumna.

Si placet, adde. P. parens farris & æris eram.

R. Per te Cræsus eram. P. fateor. R. Regnum omne beatum.

P. Verum. R. florebat quicquid ubiq; fuit.

P. Quid jam? R. marcescit. P. coliturne Deus? R. Deus Orbe

Exulat. P. humanum quis regit ergo genus?

R. Mars, Dolus, Impietas. P. ubi Mars? R. per rura vagatur

Omnia. P. sed quid agit? R. cinctus Erynnæ furit.

P. Innocuis parcit? R. sævus lupus ut solet agnis;

R. Abstinet à Templis? R. non minus atq; casis.

P. Claustra intacta finit? R. minime; spoliata perurit.

P. Quid

P. Quid Virgo? R. erepta Virginitate gemit.
P. Quid Monachus? R. posita, Martis capit arma, cucullâ.
P. Quis placat superos? R. Nemo. P. quis orat? R. Inops.
P. Ecquid? R. opem. P. Quis opem fert? R. nemo. P. videsne
malorum

Finem? R. non video. P. proh scelus! R. unde Salus?
P. Unde? nisi à superis! R. Superi indignantur. P. at olim
Res bene erit. R. spero. Spes miseros ter alit.
R. Tunc revivisces? P. etiam. R. quo tempore? P. non est
Certum. R. Conjecta. P. dum gravis ira cadet,
R. Quorū? P. Cæsaris & Regis. R. quando hoc? P. Deus unus
Novit. R. uter major? P. Cæsar in Orbe caput.
R. Quin igitur cedit Rex illi? P. turpe putatur
Cedere. P. Majori cedere quemq; decet.

Squalida vastatis &c. Non iniquè queritur de Agricul-
turæ jacturâ: siquidem illa τῶν ἄλλων τεχνῶν μητρὴ καὶ τρέφουσα
ἔστι μὲν γὰρ ἐχομένης τῆς γεωργίας, ἔρρωνται καὶ αἱ ἄλλαι τέχναι
ἅπασαι. ὅπου δ' αὖ ἀναγκαῖον ἢ γῆ χειροῦν ἀποσβέννυνται
καὶ αἱ ἄλλαι τέχναι σχεδὸν πικρὰ κατὰ γῆν καὶ κατὰ τὴν θάλασσαν.

Arva. ab arando dicta. agri nondum fati. hoc loco, con-
culcati pedum unguis. Cicer. Milonian. Squalent municipi-
pia, affliantur coloniæ; tota Civitas affecta est senio! Sic
item *Fruges* dicuntur à frumine; quæ pars gutturis est sub
mento. juxta Servium. Joseph. Scaligero. παρὰ τὸ φρύγειν.
quod est ficcata torrere. Nam ante molarum usum fruges
ficcatae torrebantur, ut in pilis ficcatae tunderentur, seu
frangerentur, verbo Virgil. Alijs *fruges* à fruendo, quia istis
fruamur. Notantur his insuper omnes fructus, quibus ho-
mo vescitur. Sic *Pratum* quasi paratum datur, quia per se
parat se, ut fructum ex ipso tantum immisæ falcis indu-
striâ percipiamus. Ulpian. de verbor. signif.

Funera vidi. Funus à funibus, aut funalibus, quæ sub
pompam funebrem accenduntur. & olim accendebantur,
cum

cum noctu cadavera, propter diurnas sacrorum celebra-
tiones, efferrentur. indag. Kirchman. de Funerib. Roman.
Funera bis vidi: Damna bis tuli. Joseph. Iscan. libr. I.
Bell. Trojan. Bis adactam cladibus Urbem. Noster binam
stragem innuit, quam Magdeburga perpeffa fuit; quarum
prima circiter Annum Christi. 1350. contigisse legitur:
ubi bello inter Magdeburgenses, & eorum subditos Extra-
Urbanos exorto, tribus annis, magno utriusq; partis
damno, gesto calamitatem insignem Nostri pertulerunt.
Funcc. Chronol. & Chronic. Saxon. hinc Magdeburgensis
testantur Historiæ scriptores, URBIS fatalem, proinde
nefastum esse diem Divo Mauricio sacrum, Et Fluvium
Ohram esse non minus Urbi fatalem, utpote, ad quem
dicto die bis profligatus est exercitus. Semel anno Christi
M. CCC. L. ab Ottone Landgrafio Hassiæ: & Ottone Ar-
chiepiscopo. Et iterum Anno Gratie M. D. L. à Georgio
Meehelburgio. vid. Piccart. decad. 5. Observat. Histori-
copolit. cap. 4. Chron. Saxon. Pomarii nostri fol. 387. 674.

Funera campis indigna. Campus Varron. libr. 4. Lingu.
Latin. dicitur, quasi capus, à Capiendo fructum, melius Jo-
sepho Scaliger. ἀπὸ τῆς κάμπτου q. e. flectere: quasi in eo flecti
possint equi quadrigarij. Perinde *Damnū* aliquib9 est quasi
Dapnū, παρὰ τὸ δάπτειν i. e. devorare. παρὰ τὸ δαπανᾶν i. e.
sumtum facere. ἀπὸ τῆς δαπάνης Chabotio videtur ad Horat.
lib. 2. Satyr. 8. Sic ut ἐ δαπάνη levi expunctu sit δάπνη.
Unde fluxerit scriptio Vetus, Dapnum, Dampnum, quam
quidam observarunt; quorum inscitiam ac stuporem satis
mirari non posse, Lambin. ad Lucret. lib. 3. scripsit:
Quod abominor. Ovidianum est. 9. Metamorph. Et
vires fortuna negat, quod abominor.

Latronis Etymon Festus ἀπὸ τῆς λατρείας i. e. ministerio,
habet: quod milites Imperatori conductum are ministeriū
præstare teneantur. Varroni Latro, quasi Latero; quia

E

m ilites



militēs olim, ubi Latronis appellatio fuit honestior ad-
huc, lateri ducis quasi stipatores adhærebant: eodem sen-
su dici possint hodie, quia nonnunquam à latere Viatorem
ex insidijs adoriuntur. eodem alludit & Lotichius versu præ-
eunte: Quis tenerum pavidæ *latris* hauriet ense puellæ? Vir-
ginitas cuius præda *Latronis* erit?

Ergo dies veniet. ΜΑΥΤΟΘΥΝΣ species. Cuius in Oratorio
sermone par est: *Erit aliquando illud tempus, cum Rempub-
licam in florenti statu visuri sumus.*

Victore Geta. Sævi Thraces. Nulla Getis toto gens est
truculentior Orbe: quorum hodie sedem Moscos obtinere
quidam censent. De Mosci Basilidis autem tyrannide in
Livonos videte Paul. Oderborn. in eiusd. Vitâ. Sunt Thraces
& Getæ populus idem fere: ut & naturâ, moribusq; pari-
ter trux: unde furiosa bello Thrace. Horat. 2. Carmin.

Atq; ut inam Thraces potius. Selectus hic cladis, ab hoste
magis barbaro consultius ferendæ, non basimilis videtur
illi: Hercule vinci Turpe minus, *tantoq; leves autore ruinæ.*
Joseph. Iscan. libr. 2. v. 20. leg. ibid. Samuel. Dresem.

Tuistonis umbras Testor. Tuistonem nostræ Saxonie
quasi Tutelarem, aut à morte Patronum Lotichius accen-
set: quo de pluribus in *Etymo* Magdeburg dicam. *Testor*
pro *Obtestor*, adjurando protestor, fide Majorum. vid.
Formul. Barnab. Brisson.

Per sidera. Juramenta quondam per sidera concepta.
Virgil. libr. 12. *Æn.* Terram, mare, sidera juro.

Protinus de fluxit somnus. Somnus abruptus ominosus.
de la Cerda in Virgil. 2. *Æneid.* pag. 195. col. a.

Ubi variæ consociantur Aves. quæ secreta amant, & in
solitudine cantillant Lips. centur. 1. epistol. 8. Silvas avium
& hominum secesui, somno etiam idoneas, vid. Hieron.
Elver. Deambulat. pag. 5.

Jovis armiger est Aquila, quam solam è volueribus
fulmen

fulmen non percutit. Plin lib. 2. c. 55. libr. 10. cap. 3. 4.
Jacob. August. Thuan libr. 1. de Re accipitrar. Omni ex
gente volucrum

Sola Aquila immunis coelesti à fulmine durat :

Inde etiam Jovis armigeram finxere Poëtæ :

Weitz. ad Prudent. pag. 612. 726. Chasfan. Catal. glor.
mundi consider. 81. Læl. Bisciol. tom. 1. horar. subseciv. de

Aquilæ excellentia in Volucris. Mel. Goldast. tom. 3.

Constitu. Imper. de Aquila Coronatâ Victrice, quæ infigne

Imperij. De Ominibus & Vaticinio per Aquilam Imperialē,

passim Magist. Reinhard. & Paschalin. Regiselm. in

annotat.

Hic Christi dignum vibrabit Aquila signum;

Aquila quæ fido jam caret prodita nido;

Omnia mutabit, & cernere læta juvabit :

Et tandem cæco lux erit tradita seculo.

Abbas Ioachim in Jerem. cap. 4. Aquila grandis & mag-

narum alarum, scilicet Imperator Alemanniæ, percutiet

Ecclesiam, ut unde aliquando protecta erat, inde etiam

flagelletur, & sic destituta subsidijs direptioni pateat vario-

rum. Idem super Esaiâ. Quanta bella per Aquilam Ezech.

13. plumescens, & leonem Saxonicum inter Colonenses

& Guormatienses divisâ materiâ, & inter Duces surgere

habeant, finalis eventus posteris indicabit : quia necesse

est, ut Leonis absorptâ fiduciâ lentus volatus Aquilæ re-

calescat. Ioan. VVolf. centen. 12. plura de his Imperialibus

Aquilis. Georg. Log. Victrices Aquilas colit Africa; sentit

Eòus.

Lætè Asiæ domitor, Tu quoq; Turca tremis. plura

Uldaric. Hutten. in Poëm. ubi inter alia :

Non est AQUILAM contemnere tutum,

Confert. Rollenhag. Froschmeuß. lib. 3. part. 1. cap. 15.

E 2

Cæterùm

Cæterum Ominosus in bellis erat Aquilæ conspectus.
Richard. Dinoth. de prodig.

Incurvis unguibus hesit Olor. Cygnum ab Aquilâ
furenter & hostiliter imperi, nunquam aut raro superari,
contendit Ælian. Guilielm. Ulin. Encom. Aquil. Ulyss.
Aldrovand. Caspar. Dornau. Amphitheatr. VVeitz. in
Ovid. Trist. libr. 1. eleg. 1. v. 75. Voces ipsas passim e
Poëtis alijs haufit Lotichius: Sublimis pedibus rapuit
Iovis armiger uncis. Virgil. libr. 5. Æneid. libr. 1. Æn.
Aspice bisfenos lætantes agmine cyncos,
Ætheriâ quos lapsa plaga Jovis ales, aperto
Turbabat cælo. Id. libr. 9. Æneid. Candenti corpore
Cygnum
Sustulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis. Id. 12.
Æneid.

Volans rubrâ fulvus Jovis ales in æthrâ
Littorias agitabat aves, turbamq; sonantem
Agminis aligeri, subito cum lapsus ad undas
Cyenum excellentem pedibus rapit improbus uncis.
Inde Sabin. libr. 1. Eleg. 2. Cæsareas rapidis unguibus
horret aves.

Olor. Innuitur indubiè Lutherana pura Religio; & isti
cōsecranci Candidari Cives. Olor Lutherus ab Husso dictus
& prædictus. vid. Georg. Glöcker. in Vit. Luther. Deinde
Olor in tulelâ Veneris Venus interdum pro Magbeburg.
Olor albus. Virgil. lib. 11. Æneid. Strymoniamq; gruem,
aut album deiecit Olorem. Niveus. libr. 2. Æneid. Niveos
herbofo flumine cyncos. lib. 7. Æn. nivei liquida inter
nubila cœli. Albedo hîc argumentum probitatis & inno-
centiæ, è disciplinâ Pythagoricâ; cuius erat, Omnia
Candida & Albentia referre naturam Bonitatis, ut Nigra
Mali: sic nitor albus Deo simul & Angelis decorus est. Læ.

Biscio.

Bisciol. tom. 1. Horar. lib. 10 c. 18. lit. C. Stuck. libr. 2. Antiqu.
Convival. cap. 26.

Spectantq; silentq; volucres Aliæ civitates.

Fulvæ præpetis arma. Aquilæ. sic Virgil. lib. 5. Æneid.

Præpes ab Ida Jovis armiger. vid. Erythr.

Gallus qui cantibus evocat. Pugnam aquilæ cum Gallo
gentili vid. Hutten. tom. 3. Deliciar. Poet. German. p. 654.

Qui verò Gallus cum Aquila, hoc est, Cæsare Carolo V.
belligerans Lutheranos bello liberari causatus fuerit,
fortassis Gallia fuerit. Nam sub exitum Obsidionis Magde-
burgicæ, milites hinc soluti partim Carolo Cæsari, partim
Mauricio Electori ceserunt, Carolus ut oblivisceretur
Saxoniam, duxit Aquilas suas in Gallias, ubi Metenses ob-
sedit; sed eadem ferè cum gloria, qua Parthenopen Sax-
onia. Unde vulgare illud apud Marcellum nostrum, & Hort-
leder. *Wes vnd Magd haben dem Keyser den Tans versagt.*

Ales auroram qui provocat. Inde Gallus Auroræ cantor
ac præcentor; unde Galliciniū. Græcis ἀλεκτεροφάνια, quæ
passim auditur ὑπὸ τὸν ὄρθρον, καὶ περὶ τὴν ἠώ. Sub diluculum,
sub ortum auroræ. Galli vigiles nostri nocturni Plin. lib.
10. nat. quæst. cap. 21. Ambros. Leon. Nolan. de myster.
Natur. Ovid. 1. 2. Faator. Lucis prænunciator ales, Græcis
ἐγγεσιβόητος, excitans cantu. Martial. verò Martis pullus.

Removent nubila. Lethe, Mors, Fatum removet S O-
LEM, Carolum V. Imperatorem, qui micabat inter Heroës
& Principes, velut inter ignes Sol aut Luna minores.

igne fulminis præfagi. de fulminum significationibus,
generibus, vi, naturis, polixè Zæl. Bisciol. tom. 2. horar
subseciv. lib. 4. c. 18. & lib. 11. c. 5. Joan. Pier. Valerian.
in Hieroglyphic. Rittershus. ad Phœdr. fabul. pag. 159
Præfagi fulminis, hoc loco, spei melioris significat.

Pauca quæ. Civitates, Ovantes bene sperantes in gra-
tiam restitui apud Imperiū & Principes. Sole reducto creato

novo Imperatore Ferdinando. sub quo paulatim hæ molli
pace fruuntur aves. Utinam id sit illis Æternum!

Ovantes. Festo doctore vox derivatura clamore, quæ edunt
è pugna redeuntis milites, ubi victores evaserint: vide ilcet,
geminantes illud. Oho! unde Ovo. Sunt quibus ab Ove seu
Ovibus duci videtur, quæ mactabantur in Capitolio à Triū-
fatoribus. Virgil. priori significatu loquitur lib. II. Æneid.
Prædam Tyburtium ex agmine Tarchon portat ovans.

Fundit Olor sonos. Olorem non canere quidam volunt
& Aristotel. I. Animal Plin. lib. 10. c. 23 statuere; fortasse
Aristoteles, Plinius, & aliquamulti alij nunquam audive-
rint. An verò satis sit: Multi non audiverunt Cycnos
canere: Ergo cycni Canere non possunt: quisq; credat
quod amat. Contrarij plurimorum quoq; reperiuntur
autoritates, inter quos indubiè fuerunt, qui Cycnos can-
tillantes audiverint. Platonis, Ciceronis, Martialis, Virgilij,
& aliorum nimis nota recensere, superfedeo. ut & Lucret. lib. 2
cycnea mele. & lib. 4 liquidam Cycnorum lugubri voce
querelam, non allegabo; tantum Passeratij vericulos audi-
amus: Sidereos liquidis imitantur vocibus Orbes, concen-
tusq; suos Cælo didicere Magistro,

Cycnus amat Zephyros, Zephyris & Cygnus amatur.

Dulcior hinc illi cantus, cum vere repenti

Fecundat flatu resoluta Favonius arva

Immotis tunc æquor aquis, tunc florida latè

Terra filet, stupet ipse polus: dum longa canori

Eduntur per colla modi.

Clarescitq; magis sonus accedentibus annis,

Suavior & multo, quò nigra propinquior hora,

Tunc ideo geminant læti modulamen olores. Adde tamen

& Joan. Posth. lib. 3. Silvar.

Anfere pro pingui tenebrosâ nocte fuisset

Protinus occisus, nî cecinisset Olor, Cæl. Calcagn.

Mutus

Mutus agit reliquum tempus Mæandrius ales:

Cum spirat Zephyrus protinus ille canit,
vid. cætera edisertata à Frid. Tileman. discurs. pag. 97.
VVilck. Orat. 2. de Cæc. Homer. VVeitz. ad Ovid. lib. 5. Trist.
eleg. I. v. II. VVeitz. ad Prudent. pag. 12 P. Sam. Dresem.
ad Ifcan. pag. 71. 95.

Valle sub arcana. Plaut. Trinum. act. 2. f. 4. Arcano tibi
ego hoc dico, ne ille ex Te sciat, neve alius quisquam. Cauta
σιώπησις, fortassis memor istius. Quisquis futura prædi-
cit, stultus est. Nam si tristia nunciaverit invisus est ijs:
quibus futura prædicit. Rursus; si ex misericordiâ con-
sultantibus ficta respondet, Deorum Religionem violat.
Caspar. Stiblin. in Coropæd. ex Euripid. phœniss. Futura
sunt ἀφανῆ καὶ ἀόυλα. τῶν μελλόντων πετύφλωνται φραδαί
Pindar. 12. Olymp.

Quercus habet. Quercus de arcanis alligatur more
Græco. Nam olim Ethnicorum Dij reddiderunt è quer-
cubus oracula.



LOCI

LOCI COMMUNES.

1. CIVITAS hæc elapsis singulis annis septingentis
duas mutationes graves perpeffa. Autor libelli
de Numeror. myster. pag. 130. Confer. & Pomar.
Chron. Saxon. ubi memorat, diem Mauricij; &
Fluvium Ohram esse fatales huic urbi; videlicet, quod
exercitus ad illos bis fusi, & ipsi cives binam volventibus
annis cladem senserint. M. Piccart. Observat. Historic.
Politic.

2. Bella sunt DEI flagella; quæ cum intimo dolore
sentire coguntur, qui divino munere Pacis abutuntur.
Perpetuo, proh dolor! quot populi fecerunt hujus disci-
plinæ periculum; qui si verum fateri voluissent, haut
iniquè sequentem nœniam cecinissent:
Nobis & requies & Pacis nomen in ore est,
Semper: eo sermone Deum contundimus aures,
Scilicet ut plenis secura mente fruamur
Delicijs; ne quisve mali metus oia turbet.
Nunc mala quæ nobis veniunt, Pacemq; sequuntur,
Accipe: Luxuries, ingens & copia rerum,
Adde Voluptatum species, & turpia mille
Dedecora: effuso nuptæ viduæq; pudore.
Et quæ clausa domi melius se Virgo teneret,
Intempestivis convivia circuit horis:
Ludus iners, molles alieno corpore somni:
Hinc & adulteria, & soboles mentita parenti,
Insitus & veris alienus sedibus hæres;
Continuò, rixæ innumeræ, discordia, lites,
Iudicium, testis, delator, vultus avari
Iudicis: ejectiq; boni sine crimine cives,

Cum

Cum probro atq; ignominiâ sunt. Omnibus istis
Eripiunt te bella malis, nec quæ mala secum
Apportant, æquanda bonis potioribus istis:
Quæ neq; tempestas, neq; sævus ademerit hostis.
At bellum exitio multis fuit Urbibus olim?
Et fuerit. Quid si nec semper inutile nobis
Exitium? & morti succumbere præstat honestæ,
Quàm longam & turpem cum probro ducere vitam.

Pertinent huc alia Politicorum Dynastiarum disputa-
ta: Num Bellum Paci præferendum sit? Num Pace, an
Bello Romani se magis exercuerint, & Potentiæ magni-
tudinem auxerint? Pace, inquam, Ego. O Tu Deus misera-
tor, æquâ Pietate nos respice, & Pacis ardorem; Pacis, in-
quam, non dubiæ & ancipitis, PROCERIBUS infunde.
Ita rogat, ita supplicat tibi Germania tua. Iust. Reiffenb.
Emblem. 5. Amphith.

3. In Republica plus momenti habet, Bona per Re-
publica Religio, quàm Bonæ pro Republicâ Leges. Am-
plif. & Nobilif. Dn. Hier. Elver. hodiè Cæsaris Invictissimi
Consil. in Delic. Apodem. Append. Ep. 9. n. 8. Religio
verò quàm cum libertate conspiret & conjuret amicè, pari
lance trutinanda, & pari lanceâ defendenda; Conspi-
cium esse possit etiam testimonio dicam an exemplo. Nam
Geldri, Hollandi, Seelandi, Frisij, Oberisselani, & Utrech-
thani numisma euderunt, Anno Domini 1592. cui fuerunt
in sculptæ ab unâ parte Duxæ Manus invicem connexæ, ad-
junctis sex telis firmiter coadunatis, cum hac inscriptione
Latinâ: *DEO INVANTE*: ab alterâ parte columna unica
magno Libro (cui Nomen *RELIGIO*) insistens: & eidem
super impositus erat pileus, *LIBERTATIS* signum.
Columna hæc tenebatur à manibus sex-Virorum, qui sex
illas Vnitas provincias signabant, additis his verbis:
HAC NITIMUR! HANC TEMPER! puta, Hac Re-
ligione!

F

ligione? Hanc Libertatem: quasi dicerent: Vnanimus & Concordes *RELIGIONEM & LIBERTATEM* conservamus. Ioan. VVolf. Tom. 2. Lection. memorabil. centen. 16. p. 1001. Religio igitur & Libertas sunt illud *NOBILE PALLADIUM*, quo ablato Civitates everuntur. Praesertim Pietatis & Religionis causa in Republ. summa semper fuit. Religio anchora est, qua semel mota Reipubl. navis fluctuat. Reiffenb. Coron. Virtut. p. 53. Congruit. Iust. Lips. Parænesis Oration. de Obit. Iohan. Gulielm. Consecutum est statim adolescentiam eius tempus illud acerbum huic familiae (Saxonicae) luctuosum Germaniae, grave omnibus Bonis. Bellatum est inter Imperatorem Carolum, & Potentissimos Principes. Finis hic Belli fuit. Causae Bonitas ab Hac (Principum & Civitatum) parte: Fortuna & Mars ab Imperatore fuerunt. Lipsius idem de Duplici Concordia. Postremo duo ista, Religionem & Libertatem consentientibus armis retinete, defendite. Quarum altera sine altera erigi vobis non potest. Religionem non pridem singulari beneficio in his regionibus Deus accendit. Libertatem maiores vestri multo sanguine partam, adhuc usque diem inviolatam vobis tradiderunt. Vos ut traditam conservetis, videte. Aliae enim Gentes servitutem pati possunt: Germanorum est propria Libertas. Haec ille. Et sane pro Religione tanquam aris strenue pugnarunt Israëlitae multoties; quid; etiam Ethnici Palladium coelitus immissum sanctissime custodientes, armorum etiam industria tutati sunt: quid nos non faceremus Luce Veritatis aeternae beatiores à Christo redditi? Pro Libertate, tanquam focus, acerrime dimicant, etiam illi ipsi Israëlitae, duce Moise, Iosua, Gideon. &c. Servitutis quoque jugum humeris suis averti, Deum ardentem invocasse leguntur: quis nobis vicio voriter illorum exemplum imitari?

An.

4.
An verò Magistratui Civitatem, ad impia sacra cogere
volentij, remedio Pacis omni tentato, ad extremum armis
sit resistendum pro defensione: Politici disputant cum
Theologis: Nimirum, si Regis aut Imperatoris Vicarius,
contra suum Regem aut Imperatorem conjurans, subditos
cogere vellet, ut una secum Regem aut Imperatorem læde-
rent? aut Vicario plus quam Imperatori ipsi præsentissimo
parituros se esse promitterent: illi Vicario nequaquam
obsequendum, quamvis in autoritate summa sit, sed exstri-
ctiori fidelitatis formula quovis modo resistendum; sic
Terrestri Principi cœlestis Imperatoris vasallo hac lege
obediri statuit Steph. Jun. Brutus in Vind. contr.
Tyrann. quæst. secund. vid. *Befändnis / Unterricht / vnd
Vermahnung der Pfarhern zu Magdeburg* apud Frider.
Hortleder. Tom. 2. libr. 4. quod scriptum allegat ut &
Sleid. lib. 21. & D. Simon Gogrev. Discurs. Academ. An
Exercitium Religionis contra superiorem vi impediendam
armis jure defendi possit. Giessæ Typ. Hampel. Anno
M. DC. XX. editum. Vbi præterea monet. Hanc senten-
tiam defendi ac doctè propugnari a Rever. D. Iohan. Gief-
sen. in Scriptis Politicis, & à Theol. Ichnens. Tom. 6.
locor. Commun. cap. de Magistrat. Politic. fol. 1309 ad-
dit: Celeberrimi & sagacissimi illi Theologi VVitteber-
genses & Magdeburgenses ex professo & doctè hanc quæ-
stionem pertractarunt, &c.

5.
Nullæ sunt hominum adversum Deum vires, Exemplo
Iudæ Macchabæi, qui paucis militum numero multitu-
dinem gentium & duces Antiochi REGIS BELLIS
contrivit creberrimis. Matth. Westmonasteriensis Florib.
Historiar. ætat. 5. cap. 21. Notabile hoc quibusdam histori-
cis visum in Obsidione Magdeburgica, quod ex Relatione

Obsidentium hostium Candidus Eques pro nostris Civibꝯ
in prælijs & conflictibus opera mira præstiterit, aciem
hostium perfringendo, ordines illorum disijciendo, animos
& impetum enervando: semper primus ad prælium, & ad
lapidis jactum ante Magistrum Equitum præequitans.
Quem quia nunquam oculis suis vidissent Magdeburgen-
ses, rati sunt, Angelum DEI fuisse, cœlitus Auxiliarium.
Selnecker. Abrah. Saur. Calendar. Histor. Besselmeyer.
Obsidion-Magdeb. latinè edit. Basil. Anno M. D. LII. in
fin. Georg. Nigrin. Pâbstisch Inquisition, ex Sleidan. libr.
23. ibid. Anno 1551. Es ist nicht der geringsten Wunderwerck:
eins/so Gott bey vnsern Tagen gethan.

Perraro bellum eò, quo prædicatur evasurum,
evadit; inquit Thucydid. Idem ipsum contigit Obsidio-
ni Magdeburgicæ, quæ cum in extremâ lineâ versaretur,
& jam nullam spem evadendi victrices aquilas obsessis Im-
perialis exercitus concrederet, infallibili Dei providen-
tiâ sic cautum fuit, ut sanè mirabiliter, Hostis, qui tum
erat, obsidionem solveret, & submitteret suas vires causæ
Sinceriori, quæ stabat ab ipso Deo & eius vera & incorruptâ
agnitione, cultuq; . Confer hîc simile Alexandri Magni
coram Jaddo exemplum, quod allegat Andr. VVerner.
Erstiffes Chronic. lit. R. fac. ult. ut non immeritò Chr. Be-
fold fascicul. Corollar. miscell. n. 25. plausibilem Collati-
onem instituerit, inquit: Trias Urbium divinitus ser-
vatarum magnum videtur Temporis signum! Magdebur-
gum, Rupella, Leida; quî cum Thuan. lib. 53. facit, aiens:
Rupella in Galliâ idem fere, quod Magdeburgum in
GERMANIA præstitit. Et amplius: Ubbo Emmius Rer.
Frificar. histor. lib. 9. Post bimestre demum ab hoc tem-
pore Bellum Magdeburgicum, cum Laude Constantiæ
ac Fortitudinis Obsessorum, finitû: Salva Civitatis Religi-
one,

one, & Libertate Veteri sartâ testâq; retentâ, Georg. Fabr.
lib. 9. Saxon. Illustr. ubi præmittit. Hic fuit exitus Belli Mag-
deburgici, qui æternam & immortalem isti Civitati Forti-
tudinis & Constantiæ laudem ac gloriam, apud Exteras
Nationes, peperit insignem, quod nimirum illa sola in
Germaniâ tū exstiterit, quæ adversus potentissimi & victo-
rijs claris Imperatoris, ac totius Imperij arma, Religionē ac
Libertatem suam fortiter defenderit, & obsidionem annua
diuturniorem, forti ac excelso, imperteritoq; animo susti-
nuerit, Id. ibid. Mauricius Heideccio intercedente, post
mensē Obsidionis decimum quartum dat Civibus condi-
tiones minimè temnendas. Sacrosanctâ nimirū Religionē
& Munitione Urbis Antiquissimæ & mille ac quadringentis
annis in libr. historicis hoc nomine celebratæ; eiusdemq;
Jurisdictione, cœterisq; omnibus privilegijs Vetustis, inte-
gris, & illibatis. D. Henr. Echard. Ind. Chronol. rer. me-
morab. ad negoc. Relig. pertinen; Anno 1550. Magdebur-
gum obsidetur, & Dei præpotentis auxilium, atq; præsen-
tiam reipsâ experitur. Vnde & exclamat Georg. Nigrin.
im Gûlden flûß der Römischen Kirchen libr. 7. Es ist nicht der
geringsten Wunderwerck eins / so Gott bey unsern Tagen ge-
than / daß die von Magdeburg so bestendig handelten / vnd vnter
so vielen Feinden / dennoch erhalten worden. Kaysers / Könige /
alle Bischöffe / ja das ganze Reich schiene ihnen zu wieder seyn /
vnd hulffen sie zu bekriegen. Was haben sie verlohren? War-
jhr Fried nicht ein Anfang des Krieges / so meistlich
vber denen außgieng / die sie vertilget haben wolten? Wie die
Historia folgender Zeit außweist. Didac Apolephth. Kaysers
Chronic. Wie nun Kaysers Carl durch verhetzung des Papis
sich wider Gottes Wort legte / wolte dasselbe den Pfaffen /
vnd dem Papsstumb wider auff die Beine helffen / da verlohrt er
vber der bekriegung des alten Churfürsten / vnd der Stadt Mag-
deburg / alle sein Glück / das ihm nichts mehr gerathen vnd zu

Glück schlagen wolte / sondern alles hinter ihm den Krebsgang
gieng / etc.

Idem Anno 1551. Ward am 3. Tag Novembr. der Krieg
für Magdeburg geendet / vnd der Handel vertragen / erlangten
Ihrer Beständigkeit halben grossen Ruhm bey jedermeniglich.
Videte plura apud eundem notabilia, hanc partem. Ad-
stipulatur huic Ludovic. Guicciard. libr. 2. Commentar.
dereb. memorabilib. in Europ. Parthenope, inquit, mag-
nam laudem sibi, & universæ Germaniæ gratiam lucri fecit,
ob id, quod omnium Teutonum cum tanto heroe, & tot
antlatis victorijs superbo Imperatore contenderint. Idem
ibid. Vtrumq; sit, qui res ab Imperatore gestas excusserit,
tanquam in Speculo manifeste videbit, ejus fortunam,
cum usq; eò steterit, ad Parthenopen istam Albensem,
coepisset tubare. Parum distat, quin easdem tibias inflet
Theol. historicus æternâ fide dignissimus: Quis ille? nuga-
tor aliquis Iovius? non. non. David Chytræus; Sed quid
ille Chytræus? Audis? imò Videsis. Sic ait: Magdeburgen-
sis Civitas, æternam fortitudinis & constantiæ laudem ac
gloriam apud exteras gentes ingentem sibi peperit, quæ
sola in Germaniâ adversus potentissimi, & tot victorijs
elati Imperatoris Caroli, ac totius Imperij arma, RELI-
GIONEM ac LIBERTATEM suâ armis, fortiter, defende-
re, & obsidionem annuâ diuturniorem, excelso, & infracto
animo perferre ac sustinere ausa est, ac tandem DEO, virtu-
tem invictam juvante, Pacem Salva Religione & Libertate
pristinâ recuperavit. Ac, ut inter Principes, eò tempore
Iohannes Fridericus Elector captivus: sic, inter Civitates,
Magdeburga, in Illustri Constantiæ ac Fortitudinis exēplo,
cæteris omnibus præluxit. In eandem vel pedibus animi,
ut sic loquar, itat sententiam Abraham Saur. Calendar.
Histor. Anno 1551. am 8. Tage Novembr. schwur Herzog
Moriz dem Rath zu Magdeburg sie bey GOTTES Wort /
vnd

vnd ihren Freyheiten zu Handhaben. Am. 3. Novembr. ist die
Sach vertragen. Consentit Iohan. Sifard. im Cometen
Spiegel. Endlich ward die Sach vertragen / im welchem
Vertrag Churfürst Moritz zu Sachsen der Stad zugesagt / sie
bey Gottes Wort / vnd ihren Freyheiten zu Handhaben
Assentiunt M. Michael Hempel. Valentin. Rudolff. Zeitbüch-
lein. Matth. Quad Deutscher Nation Herrligkeit. p. 61. Sle-
dan. Selnecker. ante alios. Neq; piaculum, sit opinor, si
memorem: cum debita præfatione, honoris erga Vit-
zendorffiam Lüneburgensium Ampliss. familiam, quæ
me unâ cum Paulo Bloccio Rectore, Patruo, & jam Com-
patre honorando, cum Borcholtis, Elveris, Tobingis,
Proceribus, & Patricijs ejusdem celeberrimæ Reipublicæ
clarentissimis, plurimum ad Liberales litteras, quantillas-
cunq; teneo, juvit: memorem in quam, erecti & sinceris-
sime Politici Viri censuram, quam Henric. Marcellus
nostræ Reipub. à Secretis observavit: Herr Hieronymus
Witzendorff Bürgermeister der Stadt Lüneburg / mit Nahmen /
vnd mit der That / ein Fürtrefflicher / Wisiger / Kluger / Wei-
ser Herr / hat zu mir Heinrich Merckeln in seinem Haus ge-
sagt: Er wolte seine rechte Faust darumb geben / das beyde
Städte (Braunschweig vnd Magdeburg) mit Gewaltt ent-
setzt worden / der Hoffnung / das darnach baldt keiner wider
kommen / vnd an die Städte sich machen würde. Dieser Consul,
als ein rechter Civitatensis vnd Stadiman / hat von der Sa-
chen wol gevrtheilt. In hoc ipso Heroe sapientissimo jam de-
finam? imò unicum ei psephulma quasi subijciam: Ioan.
Becherer. Chronic. Thuringic. Anno 1551. ist der Magde-
burgischer Krieg / wider vieler Leute Meynung vertragen worden /
vnd der Herr von Heydeck den Vertrag gar zum Ende gebracht /
vnd wurden Brieff vnd Siegel auffgerichtet / darvber die von
Magdeburg einen grossen Namen vnd Ruhm / auch bey Auf-
ländischen Völkern bekommen / Diem Weil sie bey nahe / allein durch
[ganz]

ganz Deutschland mit ihrem Exempel bewiesen hatten / Was
standhaftigkeit vermochte. Dazu ist der aufgang vñ anfang ihres
Clendts vnd Jammers ein Zugang gewesen / des Kriegs / eben
wieder diejenige / durch welcher Anstiftung / Rath vnd That /
sie wahren bedrenget worden. Iterum Didac. Apolephth. 2.
part. Historischer Erquickstund. Herzog Moris hat der Stadt
Magdeburg bey Kaiser Carolo Frieden erlangt / da doch zu-
vorn Seine Majestät einen Eydt geschworen hatte / sie in Grund
zuvertilgen / vnd nimmer sie zu Gnaden an zu nehmen. *Par-
cendum est Papyro; ne Spicilegium hoc augeat amplius:
alioqui plenâ manu plura dari possent. Cur non & mage
novitium.* Magdeburga Saxonum Virtuti tropheum po-
suit, Epiniciu accinente Scaligero. Hæc quid Constantia
possit exemplo ad omnem posteritatem memorabili docu-
it: pro aris & focis Cæsari jugulum ostentare nihil verita.
Adeoq; totius Imperij vires, adminiculante Numine for-
titer sustinuit, nec cessit, dum salvam pacisceretur religio-
nem & libertatem, cl. l. L. iacob. Vaget. Præcidan. Orb.
habitabil. Imò ex tot sententijs (quarum tamen plures ad
manum sunt) cum Vate finio: Lernut. Elegiâ praloquior.

Ex illo Victrix tempore VIRGO fuit,

Imo, ó DEUS dic esse ratum, ut:

Ex illo Victrix tempore VIRGO fiet!

Jam

ITE. MISSA EST

Sed

Quia post Elegos, Versus se proferet Heros: ut videatis
Fictionem Poëticam, de eadem Obsidionis Historia, ex
Postremis sex Virgilij Poëtarum Principis libris adombra-
tam, cum tempus indicabitur,

REDITE.

Inte-

Interea

Qui stylo prorsus - Latino hanc materiam legere cupientes
estis, Simon. Stenij & Joachim. Camerarij Observationes
istius temporis Annales

EVOLVITE

Et


Sive Livio & sive Plutarcho ; cui mavultis, illius rei copiam
date describendi ; Sed operâ tamen ingenij Vestri

FACITE :

Ex

Instituto solenni :

SULTIS.



MANTISSA

Locorum Communium.

CERTAMINA de Religione parum ædificant : quia
plurimis sunt offensaculo ; multis ægrimonia. Imperan-
te Constantino Schismate Ariano quot veri fideles &
Christiani fuerint afflicti, quot affecti scandalo, ut rela-
berentur ad Paganismum, qui carebat rixosis doctoribus,
cunctis compertum est. Imò certamina Religionis, si non
mutatio, saltem confusio sunt Religionis. Vbi tamen plu-
rimorum pectorum abdita palam fiunt. leg. M. Riccart.
decad. 4. Observat. historico-politic. cap. 5.

LEX

LEX SUMMARIÆ.

Obsidionis Historiam à nobis stilo Virgiliano scribi oportere, de sex posterioribus Æneidos; ut Virgilij Septimus nobis sit Primus de Lutheri ortu, & Religionis in Magdeburgo progressu. Octavus Virgilij, nobis secundus dabit præludia Magdeburgici belli. Nonus Virgilij nobis Tertius erit, ipsa Obsidio. Decimus poëtæ Parthenopæi, nobis Quartus leget ordine Pugnas. Undecimus istius Mantuani, nobis Quintus belli finem. Ultimus illius Andini nobis Sextus narrabit eventum, quem experti sunt Magdeburgensium hostes. Si DEO videbitur indulgere hoc ævi, quantum illô pertinet, studiosè telam illam texemus.

*Libenter hoc, & omne militabitur
Bellum in tua spem gratia,*

IESU CHRISTE.



In Memoriam

DOMUS.

DN.

IOHANNIS SALICHI

Poligraphi;

*Miraculoso bombardarum ictu tacta; quo simul & lectus
commotus; Dormientibus in illo illesis.*

DE finite Impietas quibus est Deus & Scelus Ævum.
Spe faciles animos ire quiete capi.

Desini-

Definite ingenti struere atria regia luxu
Et vasta in Vestrum duceret ecta malum.
Sicut Arachna rudis ne telæ ruptilis Orbem,
Sic est, quam struitis vestra, caduca domus,
Frustra nitimini, spem frustra infigitis illac;
QUAM PIUS EDUCIT STATQUE MANETQUE DOMUS.
Illic Angelicus se circum Exercitus omnis
Fundet, & illæsam proferet usq; Polo
AEdibus omen inest Hoc quas colis, ô Socer, ipsum,
Quod sit in has verè propria fixa SALUS.
Magnus ad hanc CÆSAR Bello dum fulminat Urbem;
Nitrosoq; jacet pulvere tecta Furor.
Librat in has sese pariter Bolus Aeneus ædes,
Seq; adeo cum vi per penitrale ruit.
Tres idem amplexus Personas Lectus habebat,
Sentit & inimisi vim solidam jaculi.
Nec tamen affixit Somno meliore jacentes,
Nam præsens præses Dexterâ visa Dei.
Indubium indicium, quod quas nunc incolis ædes,
Illis sit verè propria grata Salus.
Sit tibi, sitq; tuis florens semperq; beata
Omni parte Domus; sit tibi vera SALUS.



Aliud

ALIUD.

COROLLARIUM.

MAGDEBURGA Nobilis Virago;
Virtuosa plurimum propago,
Pro DEI, suiq; Honore, Verbi,
Dæmoni hujus atq; Regno acerbi:
Illa plurimum periculorum
Passa, nocte semper & dierum
Fluxibus. tamen suum CORONÆ
Pura gessit decus serenæ
PACÆ dives & quietæ dignè
SIT, DEUS dabis favens benignè

FINIS



Yd 188

ULB Halle
002 407 078

3




Sb.

1017

nc





PETRI LO
 SECUN
Elegia IV. L
 DE
 OBSII
 MAGDEBUR
 Ad
Dictionum Latinaru
riae limam
 GLOSSA
 Ubi de Belli Magde
 fis & eventu ben
 Ex
 Historiarum
 à
 M. JOHAN.
 Secundo Edi
 ANTIANEIR
 Litteris BOEL
 Anno clb Is c
Christoph. E
Illustris G

